Greg. XI. -1377- 134.

Gregorius episcopus servus servorum dei. Dilectis in Christo filiabus .. Abbatisse et Conventui monasterii sancte Marie angelorum extra Portam
novam Senen. ordinis sancti Augustini salutem et apostolicam benedictionem. Sacre vestre religionis sub qua mundanis abiectis illecebris sedulum ac devotum ge-
ritis altissimo famulatum promeretur honestas ut votis vestris quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper
pro parte vestra petitio continebat quod olim quondam Clerius Gabrielli de Picholominibus domicellus Senen. de bonis suis in sua voluntate ultima
testamentum in eodem testamento quandam vineam tunc expressam cum quibusdam cellis ac domibus eidem vinee contiguis in loco de Sancto
Montaliano Senen. dioc. consistentem et ad ipsum Clerium tunc iusto titulo pertinentem legavit ac reliquit quibusdam mulieribus heremiticam vitam
ducentibus et in dictis cellis commorantibus ac voluit et ordinavit quod huiusmodi domus et celle essent heremitorum et ibi essent et habitarent
continue dicte mulieres heremite. Quodque postmodum post aliqua tempora bone memorie Azolinus Episcopus Senen. ex certis rationabilibus causis auc-
toritate ordinaria etiam cum consensu heremitarum que tunc ibidem degebant erexit in monasterium monialium ordinis sancti Augustini et ibi
unam Abbatissam et certum numerum monialium canonice ordinavit atque instituit. Et subsequenter cum propter malitiam temporum et guerrarum discri-
mina que in illis partibus ingruerunt / vosque tunc in predicto monasterio morabamini commode ac tute ibi morari nequiretis prefatus Episcopus
vos de dicto monasterio ad Civitatem Senen. transtulit et ibidem monasterium sub vocabulo sancte Marie angelorum quod alias Dominice-
cole nuncupatur cum ecclesia Campanili Campana domibus et aliis necessariis officinis construi et edificari fecit vosque ibidem extunc habitastis
prout habitatis et laudabiliter conversate fuistis prout conversamini etiam de presenti. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum
ut huiusmodi erectionem ordinationem institutionem translationem constructionem edificationem per dictum Episcopum factas ut prefertur robori
apostolice firmitatis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati erectionem ordinationem insti-
tutionem translationem constructionem et edificationem predictas et quecumque inde secuta rata habentes et grata illa auctoritate
apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre
confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum
Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctumpetrum iii Non. Aprilis Pontificatus nostri Anno Septimo.

dno N. de Nug° B. Franc

xxiiii

G. Emidome

8988

A. II.a.4

12.